

## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,  
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in  
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiariorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

685. An hæc potestas conferendi beneficia censeatur collata per  
clausulum generalem, quâ Vicario concedit Episcopus facultatem  
administrandi omnia, sicut ipse habet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](#)

cans Barb. ubi ante. n. 57. eò quòd Vicarius pro spiritualibus tantum constitutus, absoluè Vicarius Generalis nuncupetur, ut constat ex Bullis Apostolicis teste Parisi. de resign. l. 8. q. 7. n. 187. & ex Trid. sess. 13. c. 2. & ex c. cùm nullus. de temp. ord. & tradunt Sbrot. l. 1. q. 25. n. 4. Sanch. de matrim. l. 3. d. 29. n. 11.

*Questio 684. Vnde dictum mandatum datur Speciale, & in quo sensu dicatur Generale?*

1. **R**espondeo ad primum: dici ex eo speciale, quòd ad hoc, ut Vicario concessa censematur facultas conferendi beneficia, specialiter debeat exprimi, quòd facultas ei detur conferendi beneficia; non verò, quòd detur ad conferenda certa beneficia vacatura, vel ad conferendum certis personis; id enim non valeret. Garc. cit. c. 8. n. 113. citans Sbrot. l. 1. q. 53. Pavin. Rebuff. Cuchum. &c.

2. Respondeo ad secundum: dici tamen potest ex eo generale mandatum, seu facultas generalis, si detur ad conferenda beneficia certi loci, seu partis diocesis, modo ibi sine plura beneficia. Garc. n. 114. citans Rebuff. de Vic. Ep. n. 23. aut ad conferendum in certis mensibus. Garc. loc. cit. citans Cuchum; aut ad conferendum simplicia tantum; aut curata tantum, aut certi valoris, aut vacatura per mortem. Garc. ibid. ex Rebuff.

*Questio 685. An hac potestas conferendi beneficia censematur collata, seu satis expressa per clausulam generalem, quà Vicario concedit Episcopus facultatem administrandi omnia, sicut ipse habet?*

Respondeo negativè. Garc. n. 118. Castrop. loc. cit. num. 8. citans Paris. de resign. l. 9. q. 7. n. 34. nam ex tali clausula cum libera & plena potestate administrandi solum inferatur, polle Vicarium ea præstare, quæ ad rectam episcopatus administrationem spectant, non verò posse eum exercere etiam, quæ sunt meræ gratiæ & donationis; non enim in concessione administrationis, etiam liberæ, conceditur potestas donandi. Castrop. juxta c. fin. de off. Vic. in 6.

*Questio 686. An hac potestas collata censematur per clausulam generalem, quà Episcopus concederet Vicario, ut omnia loco sui præstare possit, tamen si ea sint, quæ speciale mandatum requirant?*

1. **R**espondeo primò negativè, dum nihil eorum, quæ speciale mandatum requirunt, exprimitur; tunc enim illa verba: licet ea sint, quæ speciale mandatum requirunt: habent pro non adjectis. Castrop. cit. n. 8. citans c. qui ad agendum. de procurat. in 6. & Molinam tr. 5. de just. d. 10. n. 9. Econtra tamen, si aliquid speciale mandatum exigens exprimeretur, & simul adderetur: & alia omnia speciale mandatum requirant; eò ipso ad omnia illa (modò tamen illa omnia generaliter expressa graviora vel majora non contineant, quām sit illud specialiter expressum) mandatum illud conceditur; adeòque etiam ad collationem beneficiorum. Castrop. ibid. citans Molin. ubi ante. Covar. l. 3. variar. Abb. n. 3. Sbrot. l. 1. q. 65. n. 5. & 7. Garciam cit. c. 8. n. 68. & 69.

P. Leurep. Fori Benef. Tom. II.

2. Respondeo secundò: sed neque adhuc censematur collata dicta facultas, dum dicta clausula generalis talis est, ut Episcopus concedat Vicario, ut omnia loco sui facere possit, esto, speciale mandatum requirant, excepta suppressione beneficiorum, unione illorum, aut præsentatione; nam ex vi hujus adjectæ exceptionis non conceditur potestas efficiendi quicquam speciale mandatum requires; si enim per dictam clausulam generalem, seclusa illa exceptione aliquorum, non censematur concedi, quod speciale mandatum requirit, nisi id ipsum in particulari exprimatur jure sic disponente, jam etiam per adjectam illam exceptionem id non conceditur; cùm illa exceptione non tam ad ampliandam concessionem, quam ad illius restrictionem apponatur, juxta l. 1. ff. de reg. juris. Castrop. loc. cit. n. 9. ex Covar. l. 2. var. c. 5. n. 4. & maxime n. 8. & 9. & Molin. ubi ante. d. 10. n. 9. Nec obstat illud: exceptione firmat regulam in casibus non exceptis; nam exceptione firma regulam in casibus non exceptis, modò tamen hi casus non excepti comprehendantur sub concessione, adeòque in præsente, cum jure sic disponente, nullus casus speciale mandatum requirens sub illa concessione comprehendatur, nullus casus speciale mandatum requirens non exceptus expresse firmabitur per talam exceptionem. Castrop. loc. cit.

*Questio 687. An, & qualiter hac potestas conferendi beneficia arguatur concessa ex data Vicario facultate admittendi resignations?*

1. **R**espondeo primò: ex data facultate admittendi resignations absolute & simpliciter factas, non infertur data facultas beneficia taliter resignata conferendi, Laym. in c. cùm in generali. de off. Vic. in 6. Castrop. loc. cit. n. 11. citans Barb. ubi supra alleg. 54. num. 68. Rebuffi, in addit. ad reg. 13. cancell. quia plus est conferre beneficia, quam resignations recipere, patetque ex eo, quòd Capitulum Sede vacante possit resignations recipere; non tamen beneficia conferre, quæ libera sunt collationis ad episcopum spectantia: ergo multò minus Vicarius episcopi; cum Capitulum Sede vacante majorem illo habeat potestatem absque specialibus illi commissis. Laym. loc. cit. ex Paris. & quia collatio est actus omnino separatus, & cum resignations non connexus. Castrop. l. cit.

2. Respondeo secundò: ex facultate data admittendi resignations ex causa permutationis censematur quoq; data facultas beneficia sic resignata conferendi; eò quòd licet conferre beneficia permutationibus distinguatur à receptione, & approbatione permutationis, seu resignationis facta permutationis gratiâ, eit tamen ita ei connexum, ut recipiens tales resignations, seu approbans permutationem obligetur permutationibus ea conferre; adeòque collatio tunc non est voluntatis, sed necessitatis: & sic habet stylus communiter observatus, ut eodem tempore & contextu, quo admittuntur resignations permutationis gratiâ, ipsa beneficia resignata permutationibus conferantur. Unde verisimile eit, episcopum dando potestarem recipiendi resignations permutationis gratiâ factas, voluisse simul dare potestatem faciendi collationem, quæ necessariò illis fieri debet. Laym. loc. cit. n. 6. Castrop. loc. cit. n. 13. citans Azor. p. 2. l. 3. c. 44. q. 6. Et Dominiic. in v. fin.

Cc 2

de